

& Commentarium Eusebii Cæsariensis in Psalmos latine vertit, teste S. Hieronymo. *Hilarius* Romanæ Ecclesiæ Diaconus, qui Luciferianorum Schismati adhæsit, Auctor est Commentariorum in Epistolas S. Pauli, qui jam olim S. Ambrosio erant falso adscripti. Auctor est etiam idem Hilarius Operis *Questionum Veteris, & novi Testamenti*, quod perperam sub nomine S. Augustini alias circumferebatur. In his duobus Operibus, ut recte observat *Possevinus* in Apparatu, multa permiscet Hilarius, quæ Pelagianos redolent errores, & quæ benigna aliqua interpretatione molliri non posse videntur. *Philastrius* Brixienfis in Italia Episcopus scripsit librum de *Hæresibus*, qui etiamnum perstat. *Philastrio* in Brixienfi Episcopatu successit *Gaudentius*, qui plures Tractatus, seu Sermones habuit variis de argumentis, qui extant in Bibliothecis Patrum. *S. Paulinus* in Campania Italiæ Provincia Nolensis Episcopus, plures, easque elegantes scripsit Epistolas, & varia Poemata. Denique, missis aliis Scriptoribus, qui in quarto Ecclesiæ sæculo aliquas lucubrations ediderunt, unum dumtaxat celebriorem proferam *S. Epiphanium*, qui in Palæstina prope Eleutheropolim circa annum 320. natus, diu postea cum Monachis Ægypti, & Palæstinae versatus est, & *Constantiæ*, seu *Salaminis* in Cypro Insula factus Episcopus. floruit sub Juliano, Joviano, Valente, Gratiano, Theodosio & Arcadio Imperatoribus. Gravem contentionem, occasione Origenistarum, habuit *S. Epiphanius* cum Joanne Hierosolymitano Episcopo, quem tanquam fautorem errorum Origenis accusavit; eaque contentio acrius deinde recruduit *S. Epiphanium* inter & *S. Chrysostomum* Constantinopolitanum Episcopum, postquam videlicet *Theophilus* Patriarcha Alexandrinus collecta Synodo anno 401. Origenem damnavit, ac plures Monachos, quos doctrinæ Origenis ad stipulari existimabat, e Monasteriis expulit. Hi siquidem Monachi suis e Sedibus extorres Constantinopolim commigrarunt, eosque *S. Chrysostomus* benigne exceptos fovit obsequio, victuque quotidiano. Quod ægre admodum ferens *S. Epiphanius*, Synodum, eodem anno 401. in Cypro celebravit, in qua Origenem damnavit, & Epistolam ad *S. Joannem Chrysostomum* scripsit, ut eum induceret ad proscribendos Origenis errores. Quin, & ipse *Epiphanius* anno 402. Constantinopolim accessit, ubi cum *S. Joanne Chrysostomo*, qui tamen illum ad pacem omni officio nvitavit, omnem perripuit communionem. Sed perspecta invicta *S. Joannis Chrysostomi* moderatione, tacitus abcessit, dumque ad suam reverteretur Ecclesiam, eodem anno, die incerto *S. ille* Antistes senio jam confectus mortalitatem explevit, quem ob quinque linguarum peritiam πεντάγλωσσος appellarunt, multisque Encomiis sæpius Sancti Patres commendarunt.

(a) De Dialogis quatuor Cæsarii, fratris *S. Gregorii Nazianzeni*, æquius hodie judicant viri docti contententes scerum esse sincerum hujus Cæsarii, cum præsertim illi a *Photio* Cod. 210. tribuantur, & argumenta in oppositum a

Billio allata *Lambecius* tom. IV. prolixè re- futet. Ex quo fit, ut inter Ecclesiasticos scri- ptores merito referatur. Quin & *Suidas* in Lexico affirmat Cæsarium contra Græcos scri- psisse; quod sæpe in hisce dialogis factum constat. Num totum opus Cæsarii typis evulgatum sit, dubitari potest, cum *Photius* capita ejus Ecclesiastica 220. enumeret.

Opera genuina *S. Epiphanii* sunt: *Panarium adversus Hæreses* 80. *Ancoratus*, seu *de Fide sermo. Anacephaleosis*, seu *Panarii Epitome. Liber de Ponderibus, & Mensuris. Epistola ad Joannem Hierosolymitanum. Ad Hieronymum Epistola.*

Opera *S. Epiphanii* supposititia sunt: *Physiologus. De Vita, & Intervitu Prophetarum. De duodecim gemmis in veste Aaronis (a). Eiusdem libri Epitome. Orationes octo, videlicet in Festum Palmarum; in Christi Sepulturam; in Christi Resurrectionem; in Christi Assumptionem; de Laudibus B. Mariæ Virginis; in Festo Palmarum; de Numerorum Mysteriis; de Christi Resurrectione.*

Opera *S. Epiphanii*, quæ amplius non extant, sunt: *De lapidibus. S. Hilariensis Encomium. Epistole plures.*

(a) *S. Epiphanii* liber *de duodecim gemmis* in veste Aaronis, cur inter *Epiphanii* spuria hic rejiciatur ignoro, cum ab eruditissimis vulgo omnibus admittatur, certoque constat de hoc argumento *S. Epiphanium* opusculum dedisse, teste *S. Hieronymo* in Epist. *de vestitu Sacerdotum ad Fabiolam*, nihilque in eo occurrat, quod ab ætate & more *S. Epiphanii* abhorreat, Inter scripta deperdita *S. Epiphanii* merito recensendus est brevis Commentarius in *Canticum Canticorum*, quem *Cassiodorus* Divin. Lect. cap. 5. curasse se ait, ut in latinum verteretur.

D. Cum de Viris Illustribus, qui in quarto Ecclesiæ sæculo floruerunt, nihil aliud tibi dicendum suppetat, amplum, ac perutile tibi proponam differendi argumentum, de successione videlicet, & serie Episcoporum, qui præcipuas Ecclesiæ Sedes, Romanam, nimirum, Alexandrinam, Antiochenam & Hierosolymitanam in quarto Ecclesiæ Sæculo occuparunt. Quamvis enim de multis Sedium illarum Episcopis sæpius mentionem hæcenus feceris, nihilo secius ad meam juvenam memoriam, cui multum placent res scite dispositæ, & in bono ordine collocatæ, vehementer optarem, ut accuratam istarum Sedium Episcoporum seriem mihi in præsentia exhiberes.

M. Ne longius nostrum protrahatur Colloquium, plura non addam; sed de argumento, quod proposuisti, in proximo nostro Colloquio, auxiliante Deo, copiose differemus.

COLLOQUIUM V.

De continua successione, seu serie Episcoporum, qui in quarto Ecclesiæ sæculo præcipuas Sedes, Romanam videlicet, Alexandrinam, Antiochenam & Hierosolymitanam tenuerunt.

D. Plurimi nostra interest, continuam exhibere successionem Episcoporum, qui præcipuas Ec-

Ecclesiæ Sedes tenuerunt, ut inde contra Hæreticos palmare ducamus argumentum, quo palam fiat, doctrinam ab ipsis Apostolis profectam, per continuam Episcoporum successionem ad nos usque, quasi de manu ad manum, de aure in aurem, sanam & illibatam fuisse propagatam. Verum, Historia, quam descripsisti, tot Hæresum, Sectarum & Factionum, quibus in quarto sæculo varias in partes distracta fuit Ecclesia, haud obscure insinuare videtur, fuisse aliquandiu interruptam continuam illam seriem Catholicorum Episcoporum, qui id ætatis præcipuas Ecclesiæ Sedes occuparunt. Et sane, cum isti diversarum partium homines in id certatim conspirarent, ut Episcopos suis factionibus addictos præcipuas Ecclesiæ Sedibus præficerent; cum etiam Imperatores pro suo nutu, & arbitrio præcipuarum Sedium Episcopos Catholicos expellerent, & in eas Hæreticos auctoritate sua intruderent, cum denique non deessent ambitiosi homines, qui præsumptione prælationis, & amplioris honoris pruritu ad nobiliores Ecclesiæ Sedes ausu temerario involarent, qui, amabo, fieri potuit, ut tot inter tumultus, rerumque vicissitudines interrupta perfluerit Catholicorum in præcipuas Ecclesiæ Sedibus Episcoporum successio?

M. Non abluunt quidem a vero ea quæ dicis, sed tamen continuæ Orthodoxorum Episcoporum in præcipuas Ecclesiæ Sedibus successioni officere non debet ea qualiscumque Catholicorum Episcoporum interrupta successio, quia licet maxima adhibita vi, milleque interpositis nocendi artibus interrupta interdum fuerit Catholicorum Episcoporum in præcipuas Ecclesiæ Sedibus successio, revera tamen in cordibus Fidelium jugiter perseveravit, & illæ præcipuæ Ecclesiæ, expulsi in vavoribus, nunquam a legitimis, & Catholicis Pastoribus fuerunt divulsæ, sed in eorum communione, & in doctrina ab ipsis tradita inviolabili fide semper perfluerunt.

D. Distinctam itaque, & accuratam exhibe nunc Episcoporum in præcipuas Ecclesiæ Sedibus successionem, & eadem opera recente mala, pericula, & incommoda, quæ pro Fide Catholica passim sunt.

M. Initium ducam ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, quæ Mater est omnium Ecclesiarum, & cui, ceu sacra anchoræ, indivulse adhærere debemus, si salvi esse velimus. Et in primis, memini me jam observasse in secundo Colloquio, quod habuimus de successione Episcoporum Sedis Romanæ in tribus primis Ecclesiæ sæculis, Marcellinum suscepisse Pontificatum Romanum sub finem tertii sæculi, pridie Kalendas Julias, seu die tricesima mensis Junii anni Christi ducentesimi nonagesimi sexti; eumque sedisse annis octo, mensibus tribus, diebus viginti quinque, ac subinde obiisse die xxiv. Octobris anni Christi ccciv. Diocletiano IX. Augusto, & Maximiano Herculo VIII. memini insuper, me ostendisse in Colloquio tertio de Conciliis, quæ in quarto Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata, vulgo jactatum Marcellini Papæ in idololatriam lapsam merum esse commentum ac male confarcatam fabulam, quam contra *Petilianum* Donatistam disputans Sanctus Augustinus

explofit, & quæ locum non habet nisi in Actis Concilii Sinuesani, quorum certa suppositionis indicia exhibent *Papebrochius*, *Pagius*, aliique viri eruditi. Quare, cum hæc omnia jam comperita habeas, plura de Marcellino in præsentia dicere superfedo. Duo hic tantum velim obiter advertas. Primo, supposititias esse Epistolas Decretales, quæ Marcellino Papæ affinguntur, nec non pariter adulterinam esse ejusdem Marcellini Epistolam ad *Salomonem* Episcopum, quæ incipit cum verbis Leonis I. Epist. 97. juxta veterem Editionem: *Quam laudabiliter pro Catholice Fidei veritate.* Est etiam hæc Epistola confarcatata ex testimoniis *Idacii* ad *Warimundum* c. 51. 52. 53. 56. & ex testimonio *Hormisdæ* Papæ Ep. 24. & 25. ut jam a viris doctis fuit observatum. Præterea, advertere debes, nullam Marcellini Papæ fieri mentionem, sive in *Chronico Eusebiano*, sive in *Martyrologio Hieronymiano*. Quo fit, ut aliqui viri doctissimi Marcellinum, & Marcellum distinguendos non esse existiment. Quia in re eos decipi certum omnino est. At enim, Auctor *Chronici* *Damaso* Papæ attributi sedente *Liberio* Papa vixit, & utriusque Pontificis Marcellini, & Marcelli non solum meminit, sed etiam quot quilibet annis, ac diebus sedit, memorat. Præterquam quod *S. Augustinus*, qui exunte quarto sæculo floruit, utrumque Pontificem agnovit, & accurate distinguit, quemadmodum & *Optatus Milevitanus* ab *Eminentissimo Baronio* citati.

In *Chronico* *Damaso* laudato dicitur, post Marcellini Papæ obitum vacasse Sedem annis vii. mensibus vi. diebus xxv. Sed viri *Chronologiae* periti docent, hunc locum esse corruptum, legendumque, vacasse Sedem annis III. mensibus III. diebus xxv. Nam *Marcellus*, qui fuit successor *Marcellini*, ordinatus est Pontifex Romanus die xxvii. Junii anni cccviii. in quem incidit dies Dominica. Sedit autem *Marcellus* annum I. menses vi. dies xx. & migravit ad Dominum die xvii. Kalend. mensis Februarii, seu die xvi. mensis Januarii anni cccx. *Marcello* Papæ duæ Epistolæ Decretales attribuntur, quæ tamen sunt supposititiæ. Prima est ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ, in qua leguntur loca ex *Acacio* Constantinopolitano Episcopo, *Hilario*, *Innocentio*, *Gregorio*, *Leone*, & aliis *Marcello* posterioribus Scriptoribus deprompta, & insuper fictitio Consultu notatur: *data Kal. Aprilis Maxentio & Maximo V. C. Coss.* Secunda directæ est ad *Maxentium*, & incipit cum verbis *S. Gregorii* Epist. 214. libri septimi, secundum veterem Ordinem, & continet aliorum posteriorum Scriptorum complura loca, citatque Scripturam Sacram ex versione Sancti Hieronymi, quæ solum in quinto sæculo fuit ab ipso lucubrata. Denique, notatur *Maxentio, & Maximo V. C. Coss.* qui Consularatus profus fictitius est.

Post mortem *Marcelli* Papæ, vacavit Sedes dies viginti, ut legitur in auctiori *Chronico* veterum Pontificum, & die V. Februarii anno cccx. *Eusebius* *Marcello* successit, seditque menses quatuor & dies sexdecim, obiitque die xxi. Mensis Junii ejusdem anni cccx. Tres circumferuntur Epistolæ Decretales *Eusebii* Papæ, sed confictæ, & sup-

posititiz. Prima data est ad Episcopos Gallie, quæ incipit a verbis S. Gregorii Papæ l. 11. epist. 36. juxta veterem ordinem: *Scripta Sanctitatis Vestre &c.* pluraque complectitur testimonia ex Ennodio desumpta. Secunda Epistola directæ est ad Ægyptios, in eaque refertur locus satis amplus ex quinta Synodo Romana sub Symmacho Papa. Tertia est ad Episcopos Thuscie, & Campanie, incipitque a verbis Hormisdæ Papæ Epist. 25. *Benedictus Dominus noster, qui per misericordiam suam Romanam Ecclesiam &c.* in qua Epistola mentio fit Inventionis Sanctæ Crucis, quam tamen constat Eusebii Papæ tempore necdum fuisse inventam.

Post Eusebii Papæ mortem vacavit Sedes dies undecim, & Melchades, seu Melchades Pontifex ordinatus est die 11. Julii anni cccx. sedit annos tres, menses sex, dies novem, & ad Deum migravit die X. Mensis Januarii anni cccxiv. *Volusiano, & Aniano* Consulatum gerentibus. Inter Epistolas Decretales Romanorum Pontificum extat una Melchadi ad omnes Hispanie Episcopos, quæ dicitur data Kalendis Martii *Volusiano, & Aniano* Viris Clarissimis Consulibus, quæ omnino supposititia est, cum jam a die decima Januarii anni cccxiv. quo Consules erant *Volusianus, & Anianus*, Melchades e vivis excessisset. Præterquam quod, ea in Epistola citatur Scriptura Sacra juxta versionem S. Hieronymi in quinto dumtaxat sæculo a S. illo Doctore concinnatam, refertur etiam prolixum fragmentum ex Eusebii Homilia de Pentecoste, quæ vulgo attribuitur *Emiliano*, vel *Fasto* Rejensi Episcopo, qui Scriptores Melchade sunt posteriores. Sub Pontifice Melchade Donatistæ in Concilio Romæ habito anno cccxiii. damnati sunt. Quocirca, hanc Pontificis sententiam inique ferentes illi Hæretici, Melchadem, non secus ac illius Deceffores Marcellinam, & Marcellum accusarunt, quod, sævientem persecutione, sacrificasset Idolis, & libros Sacros Ethnicis tradidissent. Sed hæc putida calumnia fuit, quam Donatistæ nunquam probare potuerunt, & a qua Sanctos illos Pontifices Catholicos omnes semper vindicarunt (a).

(a) De successione Romanorum Præfulum, admitto omnia lubens quæ hic ab authore traduntur. Non ita vero facile me præberem, in definiendo tempore sedis singulorum Pontificum. Quamquam enim illud deductum sit ex chronico Damasi jam vulgato, variasse tamen constat Codices illos Damasi inter sese; quin & vetustissimos longe aliam temporum adscriptionem quam quæ sit in editis designasse scio. Unico exemplo rem illustrabo. Codex Lucensis MS. inter vetustissimos ante circiter mille annos exaratus accensendus est; ille vero tempus Sedis Marcelli assignat annis v. mensibus vii. diebus xxi. Eusebii annis vi. mensibus uno, diebus iii. & vacationem Episcopatus intra dies vii. concludit. Melchades sedes annis iv. mensibus vii. diebus viii. & vacationem diebus xvi. Sylvestri annis xxiiii. mensibus x. diebus xi. Hic vero Codex noster plerumque congruit cum vetustissimo Mediolanensi ejusdem fere ætatis a Muratorio collatus Rer. Ital. tom. 111. Utri ergo fides adhibenda est, vul-

gato ne an nostro vetustissimo?

At enim Consules in principio, & fine sedis, cujusque Pontificis notati valent ad annos definiendos. Fateor ultro ex his tempus sedis certius definiiri; sed post Sylvestrum, aliosque nonnullos raro Consules adscribuntur, ex quo concludas tempus sedis quorundam ex his Pontificibus adstrui rectius posse; sed postquam desitum est adscribere Consules, sedem eorum Pontificum in incerto vagari, cum non satis fidere possimus numeris annorum in chronico Damasi adscriptis. Et hæc dicta sint non de istis tantum Pontificibus hic enarratis, sed & de aliis omnibus succedentibus usque ad illos, quibus aliunde lux affundi potest.

Nec juvari etiam nos puto ex catalogo vetustissimo Bucheriano, cujus est aliqui autoritas summa, cum scriptum censeatur sub Liberio Papa; nam luxatus est in multis, uti hoc exemplo patet: *Marcellus an. l. Mens. VI. D. XX. Fuit temporibus Maxentii a Cons. X. & Maximiano usque post Consulatum X. & Septimum.* Ita legit Eccardus in unico Codice Vindobonensi, ex quo solo catalogus iste, frustra alibi perquirendus, peti potuit.

Mortuo Melchade Papa, vacavit Sedes dies xxi. & pridie Kal. mensis Februarii anni cccxiv. Silvester Pontificatum iniiit, seditque annis viginti uno, mensibus undecim, & obiit die xxxi. mensis Decembris anni cccxxv. *Constantino, & Albino* Consulibus. Acta S. Sylvestri a multis viris eruditissimis tanquam supposititia. Ipsemet *Baronius* fatetur, ea esse in multis depravata. Nec immerito. Narrant enim in primis illa Acta, coactam fuisse Romæ Synodum anno cccxv. cui diversarum Provinciarum Episcopi numero lxxv. interfuerunt, & *Helenam* Constantini Magni Imperatoris matrem tunc adhuc Gentilem, sed a Judæis pene Judæam effectam, Constantinum filium ad Judæorum Religionem amplectendam invitasse, hæcque de causa in unum Concilium convenisse Christianorum Antistites, & Judæorum Sacerdotes ad disputationem de Religione ineundam, atque duodecim Rabbinos ab *Isachar* Summo Sacerdote delectos, qui contra Christianam Fidem disputarent. Quod sane credibile non esse, ex eo præsertim colligunt viri eruditi, quod post excidium Hierosolymitanum Judæi Summos Pontifices creare desierint. Præterea, non probantur viri eruditissimi ea, quæ in iisdem Actis referuntur de persecutione in Christianos excitata anno cccxxxiii. de secessu Sylvestri in Montem *Soractem* ad quærendas latebras tempore illius præsentis persecutionis; de lepra, quæ Constantinum Imperatorem coegerit revocare S. Sylvestrum in Urbem, sanitatis ab ipso accipiendæ causa, & de aliis hujusmodi, quæ hic consulo prætermitto. S. Silvester misit suos Legatos ad Concilium Arelatense celebratum anno cccxiv. & ab Episcopis illius Concilii perhonorificam accepit Epistolam, qua eum rogant, ut definitiones in hoc Concilio factas sua auctoritate confirmet, easque in Univerfa publicet Ecclesia.

Sylvestro vita functo, vacavit Sedes dies septemdecim, & *Marcus* die decima octava mensis Januarii Cathedræ Sancti Petri Romæ sacra anni cccxxvi. *Neposiano, & Facundo* Consulibus ordinatus fuit

Episcopus

Episcopus Romanus, seditque menses octo, dies viginti, & obiit eodem anno, die decima septima mensis Octobris, qua ab Ecclesia colitur. Quæ *Marci* Papæ nomine inscribitur Epistola ad *Arbanasum, & universos Ægypti Episcopos* supposititia est, non solum quia falso Consulatu notatur, sed quia etiam confuta est ex variis sententiis Cælestini I., Attici Episcopi Constantinopolitani, S. Leonis Papæ, & Agathonis Romani etiam Pontificis, qui *Marco* sunt posteriores.

Post obitum *Marci*, vacavit Sedes menses tres, dies viginti novem, & die sexta mensis Febr. an. cccxxvii. *Julius* successit *Marco*, seditque annos quindecim, menses duos, dies sex, obiitque die duodecima mensis Aprilis an. ccclii. Contra Eusebianos ad defendendam Catholicam de Trinitate Fidem, & S. Athanasii causam strenue se gessit Sanctus ille Pontifex, multasque Romæ Basilicas erexit. Ex omnibus Julii Papæ scriptis supersunt duæ tantum Epistolæ a S. Athanasio relatæ, quarum una ad Eusebianos, altera ad Ecclesiam Alexandrinam missa est. Duas autem Epistolas Decretales, quæ Julii Papæ nomine inscriptæ circumferuntur, supposititias esse concors est omnium peritorum Criticorum opinio.

Sublato e vivis Julio Papa, vacavit Sedes mensibus duobus & diebus aliquot. Die autem vigesima prima Junii an. ccclii. *Liberius* Romanus Pontifex consecratus est, sedit annos quatuordecim, menses tres, & dies tres emortuali incluso, & obiit die xxiii. mensis Septemb. an. cccxvi. Varia fuit hujus Pontificis fortuna. In exordio quippe sui Pontificatus *Liberius* constanti, & impavido animo Fidem Catholicam, & Athanasium defendit. Scripsit an. ccclii. literas ad Constantinum Imperatorem, in quibus conquestus est, quod *Demophilus, Macdonius, & Martyrius* e Concilio Mediolanensi celebrato anno cccxvii. iratis animis exissent, & Arii errorem proscribere nolissent. Nunquam etiam adduci potuit S. ille Pontifex, ut damnaret Athanasium, quem Episcopi Occidentales vi, & minis ab Imperatore Constantio inducti in Concilio Mediolanensi anno ccclii. damnaverant. Quam ob rem, per vim Mediolanum pertractus est *Liberius*, ubi, cum Imperatori fortiter obstitisset, & Athanasii innocentiam acriter tueretur, Beroeam in Thracia relegatus est, & in ejus locum substitutus est *Felix* Catholicus quidem, sed ab Arianis electus, *Epicteti* Episcopi Centumcellensis Ariatorum audacissimi molitione, & a tribus Episcopis Arianis ordinatus. Verum, vix biennium in exilio egerat *Liberius*, cum ejus fracta constantia est, ac tædio victus damnavit Athanasium, subscripsitque Formulæ fidei Sirmiensis, non quidem secundæ, quæ penitus Ariana est, sed primæ, quæ Catholicum sensum pati potest, & contra Hæresiarum Photinum edita est. *Liberius*, postquam damnasset Athanasium, Romam rediit anno cccxvii. vel, ut alii probabiliter censent, anno cccxviii. & quamquam Episcopi Ariani Sirmii congregati, datis ad *Felicem*, & ad Romanum Clerum literis mandassent, ut ambo, idest *Liberius, & Felix* Sedem Apostolicam pariter administrarent, communicque consensu, & concordia Sacerdotio illo fungerentur, *Liberius* tamen sua

semel Sede potitus *Felicem* Roma expulit, suumque lapsum, facti pœnitens, reparavit. Fidem siquidem Nicænam palam professus est, communionem, & pacem cum S. Athanasio redintegravit, ac constanter retinuit, Concilio Ariminensi consensum, & suffragium suum intrepidè negavit, scripsit ann. cccxii. Epistolam ad totius Orbis Episcopos, in qua anathemate percussit Arianos, sed tamen præcipit, ut Episcopi, qui in Concilio Ariminensi vi, & minis compulsi in errorem inducti fuerant, indulgentia concedatur, si errorem ex animo derestentur, & fidem Nicænam amplectantur. Denique, S. ille Pontifex multum adlaboravit, ut Semi-Ariani, qui ab Anomæis oppressi a suo errore resipuerant & Catholicam de Trinitate Fidem exceperant, in gremium Catholicæ Ecclesiæ reciperentur.

Mortuo *Liberio*, vacavit Sedes diebus septem, & *Damasus* natione Hispanus ordinatus est Pontifex Romanus die prima mensis Octobr. an. cccxvii. sedit annos octodecim, menses duos, dies decem, & migravit ad Dominum die decima mensis Decembris an. cccxxxiv. *Ursicinus* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus electionem Damasi funesto Schismate turbavit. Is enim contra Damasum legitime electum ordinatus est Episcopus Romanus, & multos e Clero, Populoque Romano in suas partes pertraxit. Unde tanta orta est seditio, ut, teste *Ammiano Marcellino* Scriptore id ætatis Ethnico, una die in Basilica *Sicinini* reperta fuerint centum & triginta cadavera. *Prætextatus* sub Valentiniano Imperatore Romæ Præfectus Ursicinum Schismatis auctorem Roma expulit, sed illius exilio necdum Schisma extinctum est. Nam post mortem Valentiniani Imperatoris, Ursicino Romanam Sedem iterum invadere moliente, contra ipsum Romæ an. cccxxxviii. congregata est Synodus, in qua Episcopi Epistolam ad Imperatores Gratianum, & Valentinianum juniorem scripserunt, eisque primo exposuerunt, quod *Ursicinus*, ejusque exemplo nonnulli Episcopi Ecclesiis incubarent, & contemptis cognitoribus, vel fugatis, plures ex ea factione Ecclesias suas retinerent. Secundo, quod *Florentius* Puteolanus Episcopus, qui anno cccxxxii. Episcopatu fuerat dejectus, ad illum tamen an. cccxxxviii. rediisset, multasque in *Oppido* Puteolano, unde erat expulsus, turbas concitasset. Tertio, quod quidam *Isaacus* Judæus a factione Ursicini subornatus in Damasum Papam insurrexisset, ejusque caput petiisset. Quibus malis pacem Ecclesiæ perturbantibus remedium a duobus illis Imperatoribus petierunt istius Concilii Episcopi. Ad hanc Episcoporum Epistolam rescribentes iidem Imperatores, jufferunt, sententias in eosdem seditiosos alias latas executioni mandari, datis hac de re literis ad *Aquilinum Vicarium Urbis*. Patres etiam Concilii Aquilejensis an. cccxxxii. Gratiano Imperatori supplicarunt, ut Ursicinum, qui cum Arianis Mediolani conjunctus novas turbas recens meditatus fuerat, & denuo Romanæ Sedis invadendæ consilia inierat, sua auctoritate cohiberet. Quibus Orthodoxorum Antistitum votis ultro annuens Gratianus Augustus, Ursicinum perpetuo exilio multavit, Damasum Sedis Romanæ pacificum possessorem reddidit. Quatuor Syno-

Synodi sub Damaso Papa Romæ celebratæ sunt. Prima fuit convocata ipso Damasi Pontificatus initio, idest exeunte anno cccclxvi. vel saltem ineunte anno cccclxxvii. adversus Valentem, & Ursacium Arianos. Secunda Synodus, indicta est contra Auxentium Mediolanensem Episcopum Arianum anno Christi cccclxxii. Tertia celebrata est anno cccclxxv. adversus Apollinarem, & Timotheum. Quarta denique Synodus habitata est anno cccclxxviii. tam contra varios Hæreticos, quam adversus Ursinum, & ejus factionis Episcopos. Sub Damasi etiam Pontificatu Concilium primum Constantinopolitanum, quod inter Æcumenica secundum locum tenet, congregatum est anno cccclxxxi. Opera S. Damasi Papæ a *Mario Mileso Zarazino* collecta sunt, sed Epistola octava, quæ dicitur scripta *Stephano Archiepiscopo Concilii Mauritanie*, & *universis Episcopis Africane Provincie*, supposititia est, ut palam ostendit subscriptio: *Data Flavio, & Stilicone VV. CC. Cofs.* Flavius enim Stilico unus & idem est, qui anno cccc. Aureliano Collega Consulatum gessit. Liber etiam Pontificalis Tomi Conciliorum insertus *Damaso* perperam attribuitur, sicut inter omnes eruditos convenit. *Schellstratus* in 2. part. Antiq. Illustratæ probat, Hieronymi ad Damasum, & Damasi ad Hieronymum epistolam inter genuina Damasi Opera numerari haud debere. Denique, Catalogum veterum Pontificum, qui in Liberio Papa definit, quique Damasi Chronici nomine vulgo laudatur, Damasi partem non esse agnovit etiam Baronius. Hujus tamen Catalogi, utpote pervetusti, auctoritas magni est apud peritos Criticos ponderis, quia ad Chronologiam Pontificiam usque ad Liberium Papam ordinandam nullum aliud ex tota antiquitate Opus superest.

Damaso Papæ successit *Siricius*, seditque annos tredecim, menses undecim, dies quinque, ut ostendit *Pagius* ad annum cccxcviii. quo anno mortuus est *Siricius*. Quatuor Epistolas Decretales scripsit *Siricius*. Prima, eaque celeberrima, & Disciplinæ Ecclesiasticæ instauratrix, data est ad *Himerium Tarracensem Episcopum*. Altera, ad *Episcopos Africæ*. Tertia, ad *Universos Episcopos*. Quarta, ad *Anysium*, & *Illyrici Episcopos*, de *Bonoso* Hæresiarcha, quæ Epistola falso olim tribuebatur Sancto Ambrosio, sed eam *Siricio* Papæ vindicavit perdoctus *Lucas Holstenius*. Has, inquam, quatuor *Siricii* Papæ Decretales Epistolas genuinas esse agnoscunt omnes viri eruditi, excepto tamen *Papebrochio*, qui in Conatu Chronologico-Historico ad Catalogum veterum Pontificum Romanorum dubitat de integritate primæ Epistolæ ad *Himerium Tarracensem Episcopum*, & de integritate secundæ Epistolæ, quæ est ad *Episcopos Africæ*, quia duæ illæ Epistolæ habent notam Consulatum, qua carent aliæ *Siricii* Epistolæ. Tempore autem *Siricii* necdum apud Pontifices obtinuisse usum in signandis Epistolis apponendi nomina Consulatum, probat *Papebrochius* ex Epistolis Episcoporum datis ea ætate ad Romanos Pontifices, & ad ipsum *Siricium*, quæ Consulatum nominibus notatæ nullatenus ap-

parent. Verum propter hanc levem conjecturam non debuisset *Papebrochius* duas illas *Siricii* Epistolas, quas ipsi adjudicant omnes periti Critici, in dubium revocare. Nam licet verum sit, Episcopos, ea ætate, ad Romanum Pontificem scribentes Consulatum nomine litteras suas signare solitos non esse, Pontifices tamen Romani a tempore *Siricii* Papæ litteras suas Consulatum nominibus munire inceperunt, quamvis, ut advertit *Cl. Pagius*, in eo usu constantes non fuerint, & Consulatum nomina in eorum Epistolis non raro præmittantur. De *Siricii* Papæ sanctitate Baronius dubius, eum in Martyrologio Romano non reposuit, & in Annalibus negligentia accusavit, quod periclitanti Ecclesiæ occasione errorum Origenis statim non occurrerit, sed potius communicatorias litteras concesserit *Rufino* acerrimo Origenis defensori. Præterea, non probat Baronius, quod *Siricius* Papa exemplo Damasi in conscribendis Epistolis Hieronymi opera usus non sit, neque eum, ut par erat, foverit. Verum, hæc duo, quæ objicit Baronius, sanctitati *Siricii* obesse minime debent. Nam primo, quod *Siricius* litteras communicatorias *Rufino* concesserit, a nemine culpari potest, quia tunc *Rufinus* apud omnes bene audiebat, & Origeniana Hæresis necdum satis patefacta erat, idque tantum accidit sub *Anastasio* Papa, ut diserte testatur *Hieronymus* in Epistola ad *Demetriadem* de servanda Virginitate. Non mirum igitur, si *Siricius* Epistolas communicatorias *Rufino*, nondum cognita ejus venenata doctrina, concesserit. Secundo, culpam istidem non potest *Siricius*, quod Hieronymi opera in conscribendis Epistolis exemplo Damasi Papæ usus non fuerit, quia initio Pontificatus *Siricii* plures Romam Clerici, invidia, & odio in Sanctum Doctorem flagrantem, persecutionem in eum moverunt, ac grave aliquod crimen Sancto viro imposuerunt, sicut ex illius Epistolis colligitur. Quale *Siricius* criminosis relationibus adversus Hieronymum forsitan circumventus, ad sedandos tumultus illum Romæ non retinuit, sed Sanctorum locorum, & studiorum ardore inflammatum permisit Hierosolymam regredi. Qua in re quid culpabile *Siricius* commiserit, non apparet. Sed de *Siricii* sanctitate legendus est *Florentinus* in Notis ad Martyrologium Hieronymianum ad diem xxvi. Mensis Novembris, cui *S. Siricii* nomen inscribitur, ubi ex pluribus vetustis Martyrologiis *Siricii* Papæ sanctitatem adstruit, & ad ea, quæ Baronium moverunt, ut de illo in Martyrologio Romano sileret, doctè, ac solide respondet.

Siricio Papæ successit in Sede Romana *Anastasius* die quinta mensis Decembris anni cccxcviii. seditque annos tres, dies decem, ut liquet ex Chronico auctiori veterum Pontificum, & ex Catalogis Palatino, utroque Corbejensi, Reginonis, secundo, & tertio Colbertino &c. Quapropter, obiit *Anastasius* die decima quarta Decembris anni cccxi. Sub *Anastasio* Pontificatu tumultuati sunt Origenistæ, eosque sua auctoritate repressit Sanctus ille Pontifex. Extat etiam Epistola *Anastasio* ad Joannem Hierosolymitanum Episcopum, in qua testatur, se Origenis scripta, & errores dam-

mnasse. Refertur hæc *Anastasio* Epistola variis in locis emendata a *Garnerio* tom. 1. Operum *Marii Mercatoris* pag. 109. Alias Epistolas scripsit *Anastasius*, quæ ad nos non pervenerunt. Duæ quippe Epistolæ Decretales, quæ sub *Anastasio* nomine nunc circumferuntur, supposititiæ sunt, & falso ei adscriptæ. Prior siquidem, quæ dicitur scripta *Cunctis Germaniæ, & Burgundiæ Regionis Episcopis*, mendosa Consulatum nota subscripta est, & contexta insuper ex variis *Innocentii I. Leonis, & Flaviani Constantinopolitani* Episcopi sententiis, falsoque supponit Burgundiones omnes tum temporis Christianos fuisse, quos tamen constat tenebris idololatriæ fuisse adhuc immerfos. Denique, Baronius ipse de hujus prioris Epistolæ Decretalis sinceritate merito dubitavit, sed de secunda, quæ *Anastasio* tribuitur, Decretali Epistola, quæque *Neriano Vivo Nobilissimo* data dicitur, nullam Baronius mentionem fecit, quæ tamen eadem suspicione, qua prior, laborat, non solum ob falsam Consularem notam, sed etiam ob stylum, qui procul abest a stylo *Anastasio* Papæ, & ob materiam, quæ ex Epistolis *Innocentii, Leonis, & Gregorii Romanorum Pontificum* de prompta est. Habes nunc continuam successionem Pontificum, qui quarto Ecclesiæ sæculo Sedem Romanam tenuerunt.

D. Modo accurate teneo Chronologicam successionem Pontificum, qui in quarto Ecclesiæ sæculo Sedem Romanam tenuerunt. Describit itaque nunc Seriem Patriarcharum, qui eodem sæculo Ecclesiam Alexandrinam gubernarunt.

M. Historiam Patriarcharum Alexandrinorum doctissimi Patres Societatis Jesu *Papebrochii, & Bollandi* continuatores tom. 5. mensis Junii præmiserunt, novamque, & pleniorum illorum Patriarcharum Historiam a *S. Marco* usque ad finem sæculi XIII. nuperrime publicavit eruditus *Domini Eusebius Renaudot* in Historiis, & Linguis Orientalibus exercitissimus. Ipse vero, cum jam in uno e nostris Colloquiis texerim seriem Patriarcharum Alexandrinorum a *S. Marco* usque ad *Theonam*, hoc est, usque ad annum trecentimum, pauca nunc ex his, quæ spectant Patriarchas, qui quarto Ecclesiæ sæculo Sedem Alexandrinam occuparunt, delibabo.

Petrus in Patriarchatu Alexandrino successit *Theonæ* anno Christi ccc. *Diocletiani Imperii* xvi. *Maximiani* xiv. Consulibus *Constantio Casare III. & Galerio Maximiano III.* sicut legitur in Chronico Alexandrino. *Eusebius* Cæsariensis, qui in suo Chronico *Petri* electionem in annum Christi ccc. distulerat, hunc errorem postea correxit c. ult. lib. 7. Hist. Eccles. *Petrus* Patriarcha Alexandrinus Martyrium passus est secundum *Eusebium* loco mox a me laudato, anno persecutionis nono, hoc est, ut accuratum Chronologiæ hujus temporis Peritorum calculum sequar, anno Christi cccxi. die xxix. *Ægyptiaci* mensis *Athyri*, quæ dies responder die vigesima quinta mensis Novembris, ut habetur in excerptis Chronologicis a *Scaligero* editis, quibus assentiunt *Ufuardus, Ado, & vetus Martyrologium Romanum*. Acta *S. Petri Alexandrini*, quæ exhibet mox lau-

datum *Cl. Renaudot*, narrant, cum *Arius* Hæresiarcha in communionem restitui a *S. Petro* Patriarcha Alexandrino in carcere constituto, & jam Martyrio proximo vehementius flagitaret, Christum huic *S. Antistiti* noctu veste confissa apparuisse, & causam rei percontanti respondisse: *Arius vestem meam scidit, atque adeo cave, ne eum suscipias, aut cum eo ullam communionem habeas.* Verum, hæc visio Sancti *Petri Alexandrini*, ejusdemque Martyris Acta, tam quæ apud *Surium* leguntur, quam quæ Græce, ac Latine a doctissimo nostro *Combesio* edita sunt, omnia falsitatis, & suppositionis præferunt indicia. Nam præterquam quod, nec *Alexander*, nec *Athanasius* Patriarchæ Alexandrini unquam Ario, etiam in maximo disputationis æstu, objecerunt hanc visionem, quæ ipsum, ejusque Sectarios pudore suffundere potuisset, constat etiam *Achillam*, qui *Petro* in Patriarchatu Alexandrino immediate successit, promovisse Arium ad Sacerdotium, quod sane cogitare ne quidem ausus fuisset Sanctus ille Antistes, si *S. Petrus*, ut habetur in illis Actis, paulo ante mortem suam nomine Christi districtè ei prohibuisset, ne Arium unquam in Ecclesiam reciperet. Præterea, in illis Actis Sancti *Petri* dicitur, *Millium* quemdam fuisse Episcopum Alexandrinum, cum tamen in Patriarcharum Alexandrinorum Serie nullum istius nominis recensent Scriptores Ecclesiastici. Tertio refertur in illis Actis, *S. Heraclam*, post *S. Dionysium*, & *Maximum*, rexisse Ecclesiam Alexandrinam, quod tamen oppido falsum est, nam *S. Heraclas, S. Dionysium, & Maximum* in Patriarchatu Alexandrino antecessit. Denique, dicitur in illis Actis, Corpus *S. Petri Alexandrini* fideles condere voluisse in Ecclesia Sancto *Theonæ* sacra, quod a veritate prorsus alienum est. Hæc siquidem Ecclesia in honorem *S. Theonæ* necdum erat extructa, sed illam, ut testatur *S. Athanasius* in Apologia prima, extrui dumtaxat curavit *Alexander*, qui *Achillæ* Patriarchæ Alexandrino successit.

Achillas post mortem *S. Petri* Patriarchæ Alexandrini in ejus locum successit, sed quo anno, non plane constat. *Cl. Renaudot* fatetur, adeo confusam esse Orientalium Chronologiam circa Patriarchatus *Achillæ* initium, ut eorum calculi cum Græcis, Latinisque Auctoribus nullo pacto conciliari possint. Unde hic Auctor verosimile existimat *Achillam* ordinatum fuisse Patriarcham Alexandrinum an. Christi cccxi. & obiisse cccxii. Verum, probabilior mihi videtur sententia doctissimi *Pagii*, qui asserit *Achillam* *S. Petro* Patriarchæ Alexandrino ante annum cccxi. non successisse, quia testatur *Gelafius Cyzicenus* lib. 11. Historiæ Concilii Nicæni cap. 11. post *Petri* Episcopi Alexandrini Martyrium Ecclesiam Alexandrinam mansisse viduam unum annum, eoque transacto, in Sede hujus Martyris ordinatum esse *Achillam*, qui, cum mensibus tantum quinque supervivisset, Alexandrum successorem habuit. Quocirca, cum die xxv. mensis Novemb. anni cccxi. *Petrus* Episcopus Alexandrinus pro fide occubuerit, consequens est *Achillam* non ante finem anni cccxi. Ecclesiæ Alexandrinæ principatum suscepisse.